



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De imagine. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Id dici accipiamus, cum dicitur verbum, ac si dicatur nata sapientia, ut filius sit & imago. Et hæc duo cum dicuntur, i. nata sapientia, in vno eorum, eo quod est nata, & verbum & imago & fili⁹ intelligatur. Et in his omnib. nominib. nõ ostendatur essentia, quia relatiuè dicuntur. At in altero quæ est sapientia etiam essentia demonstratur, quoniam & ad se dicitur, seipsa. n. est sapiens, & hoc est eius esse quod sapere: vnde pater & filius simul vna sapientia, quia vna essentia. Caue lector qualiter hoc intelligas, quod hic dicit Aug. Videtur. n. dicere, quod cum dicitur nata sapientia, ibi sapientia essentia significet, & nata relationem notet. Quod si ita est, cogimur dicere essentia diuinam esse natam: quod superiorib⁹ repugnat. Sed ad hoc dicimus. quod in altero, i. in eo quod nata est, eadẽ notio intelligatur quæ notatur cum dicitur verbum & imago. In altero vero, scilicet, sapientia, demonstratur essentia, i. demonstratur quod filius sit essentia, quia sapientia secundum essentia dicitur: Et ideo cum dicitur nata sapientia, intelligatur quod ipse, qui natus est, essentia est: ibi tamẽ sapientia nõ pro essentia, sed pro hypostasi facit intelligentiam: ut sicut quãdo dicitur verbum vel fili⁹, intelligitur hypostasis cum sua proprietate. Item cum dicitur nata sapientia, idem intelligitur, id est genita hypostasis. Ideo vigilanter ait idẽ esse intelligendum cum dicitur verbum, & cum dicitur nata sapientia, id est, eademque hypostasis cui inest illa proprietas. Et ex hoc adiuvatur illud quod superi⁹ diximus, scilicet. cū dicitur pater vel fili⁹ vel spirit⁹ sanctus, nõ rãtum illarum proprietates significantur, ut cum dicitur paternitas, filiatio: sed etiam hypostasis cum suis proprietatibus.

Quod imago aliquando dicitur secundum essentiam.

ILLVD etiã sciri oportet, quia cū supra dictum

L 5

fit ima-

Cap. 1. ad finem.

Non longè
& princip.

Aug. ca. 20.
ad finem.

fit imaginem relatiuè dici de filio, sicut verbum vel filius: interdum tamen reperitur secundum substantiam dici. Vnde Aug. in lib. de fide ad Petrum dicit, quod vna est sanctæ Trinitatis essentialiter diuinitas & imago, ad quam factus est homo. Hilar. etiam in 5. lib. de Trin. ait: Homo fit ad communem imaginem: Nomen non discrepat, natura non differt. Vna est enim ad quam homo creatus est, species. Ex his verbis ostenditur quod imago aliquando essentiz intelligentiam facit: & tunc ad se dicitur, & non relatiuè.

DE PRINCIPIO, QVOD RELATIVE
dicitur, & multiplicem notat relationem.

DISTINCTIO XXIX.

EST præterea aliud nomen multiplicem notans relationem, scilicet principium. Dicitur enim principium semper ad aliquid: & dicitur pater principium, & filius principium, & spiritus sanctus principium: sed differenter. Nam pater dicitur principium ad filium, & ad spiritum sanctum. Vnde Aug. in quarto lib. de Trin. ait: Pater est principium totius diuinitatis, vel si melius dicitur, deitatis: quia ipse à nullo est. Non enim habet de quo fit, vel de quo procedat, sed ab eo & filius est genitus, & spiritus sanctus procedit. Non ergo dicitur principium toti⁹ deitatis, quod vel fuit, vel diuinitatis essentia principium sit: sed quia principium est filii, & spiritus sancti, in quibus singulis tota diuinitas est. Filius ad spiritum sanctum dicitur principium. Spiritus vero sanctus non dicitur principium nisi ad creaturas: ad quas pater etiam dicitur principium, & filius, & Trinitas ipsa simul, & singula personarum principium dicitur creaturarum. Pater ergo principium est sine principio. Filius principium de principio: Spiritus sanctus principium de utroque, id est, de patre & filio.

Quod